

præsumitur. 3. Facilius quis inducitur ad pœnæ promissionem, quam ad Arrhæ acceptæ confessionem; quippe quæ non potest non confitenti nocere, & sive sequantur, sive non sequantur nuptiæ, confitentem obligat, illo casu in duplum, hoc vero in simplum: sed pœnæ promissio confertur in eum casum, quem quis non fore credit, ac propterea facilius illam promittit. At nemo tam facile confitetur, quod scit certo sibi nociturum. *arg. l. 25 ff. de probat.*

CLXXIX.

Prædictam sententiam veram esse existimamus, licet confessio Arrharum receptarum mutuo & reciproce facta, & uterque, tam sponsus, quam sponsa se Arrham accepisse, fassus sit. Cum enim reciproca Arrhæ datio valeat, uti supra in *th. 39. & seqq.* demonstravimus, nihil obstare videtur, cur non etiam huic mutuae confessioni credendum sit. Licet enim Bartol. Paul. de Castro, & alii ad *l. Titia. 134. de V. O.* contrarium propugnare allaborarent: nullam tamen sufficientem negationis rationem afferunt; unde etiam affirmativa sententia, teste Baldo ad *d. l. communiter a Dd.* approbatur, & in praxi observatur; quam etiam in consulendo secuti sunt Agabitus Matthæus, Franc. Mansuetus, Laurentius de Rudolphis, Stephanus de Bonacursis, Thomas de Cursinis & alii Florentini & Perusini Doctores in *consil. matrim. Ziletti. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 19. Trentacinq. d. Resol. 2. n. 12. Sanchez. 2. de matr. disp. 35. n. 5.*

CLXXX.

Coronidis loco quæritur, si pater filio catenam auream, brachialia aut similia pretiosa daret, ut illa sponsæ suæ Arrhæ nomine, *jura Mahlschlag* / traderet, an filius patri succedens ea in communem hæreditatem conferre teneatur? In hac quæstione distinguendum est, an filius Arrham illam receperit, an vero non. Priori in casu, nullum est dubium, quin regulariter conferatur; *l. 2. l. 5. l. 12. l. 17. l. 19. C. de collat.* nisi probetur, intentionem patris fuisse, ut filius illud præcipuum haberet. *Auth. ex testamento. C. de collat.* Posteriori vero in casu iterum distinguendum, an filius sua culpa illam amiserit; ut si promissum

missum